

## IN LIBRUM NONUM

## EPITOMA.

**V**Eneti Jaderam a Ladislao Rege redemerunt :  
 In Dalmatia ob Sicum aliquandiu est bellum :  
 Fœdissima tempestas ad Augusti idus orta,  
 subito strepitu terris & aqua omnia circa  
 urbem turbavit : Scythæ Tanaim emporium occuparunt :  
 Pipus cum ingenti barbarorum manu in Italiam erupit :  
 Nec multo post Sigismundus subsecutus : In Taurisino &  
 Forojuliensi agro vario est eventu cum barbaris pugnatum :  
 Novi quidam magistratus in urbe constituti sunt : Utinensium  
 discordiæ in Carnorum oram Veneta arma traxere :  
 Omne Carnicum nomen in Venetorum fidem concessit :  
 Barbari bis in Italiam Lodovici Aquilejensis Antistitis  
 ductu erupere : Carmaniola Dux a Philippo ad Venetos  
 transfugit : Variæ in Senatu actiones de bello pro Florentinis  
 in Philippum suscipiendo : Fœdere cum Florentinis percusso,  
 bellum Philippo Duci est indictum.